



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola LXVI. Ioannis Papae VIII. Ad Athanasivm Episcopvm Neapolitanvm.
Commendat zelum fidei, quem ostenderat aduersus Sergium ecclesiae Dei
hostem: hortatur vt in dies magis pro ecclesiae sibi ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

nuimus, vt dignum honorem tibi pro amore Iesu Christi Domini nostri impendat, & omnia priuilegii tui iura perpetua stabilitate & conseruare ac indiminuta custodire procuret, si gratiam & benedictionem sedis apostolicæ, sicut antecessores eius bene faciendo habere meruerunt, pari modo voluerit iste habere. Data vt supra.

EPISTOLA LXVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ATHANASIVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Commendat zelum fidei, quem ostenderat aduersus Ser-
gium ecclesiæ Dei hostem : hortatur vt in dies magis
pro ecclesiæ sibi commissæ defensione laboret; Petrum
diaconum ei commendat.

*Reuerendissimo & sanctissimo Athanasio episcopo sanctæ ecclesiæ
Neapolitanæ dilecto confratri nostro.*

INNVMERAS gratiarum actiones vestræ Deo dilecta agi-
mus almitati, dignisque apostolico vos ore laudibus præ-
ceteris merito collaudamus: quoniam secundum Domini
vocem dicentis ; *Si oculus tuus, vel manus tua scandalizat te,
erue eum, & proice a te, fratrem tuum erga ecclesiam Dei im-
pie agentem, & circa Dominum non recto itinere gra-*
Matth. 5.
Loquitur
de Sergio,
ver constat
ex epistola
proxima,
cuus Leo
Ostiensis
meminit
lib. 1. c. 42.
Matth. 10.
etiam
de Sergio,
ver constat
ex epistola
proxima,
cuus Leo
Ostiensis
meminit
lib. 1. c. 42.
*dientem, velut secundum Holofernem, sancta Christi Dei
nostrí ausu temerario impugnantem, & hereditatem pa-
triā more sacrilego persequenter, tanti honoris regimi-
ne indignum iudicans, vltionis diuinæ percutere iaculo
studisti: nec pepercisti carni tuæ propter Dominum di-
centem: *Qui diligit patrem, aut matrem, aut fratrem plusquam
me, non est me dignus:* in quo nimirum vos Deo per omnia
dignos fore cognoscimus, quia membrum corporis tui
multo contagio foetens libenter abscidere, proculque
abiicere sanctitas tua fideli deuotione curauit: & quia
nuncusque viris secularibus secundum se, & non secun-
dum Deum in vrbe Neapolitana principantibus, multa
scandala & perturbationes multas, homicidia & oculo-
rum eruções intra eam, vel foris peragentibus, dignum
Deo de his iuste iudicante peractum est, vt iniqua iam ces-
faret dominatio, finem haberet peccatum; & consurgeret*

vir de domo Domini, qui timorem Dei præ oculis habens regat populum Christi in omni iustitia & sanctitate, in omni veritate & mansuetudine, ut pastor idoneus, & non velut mercenarius deserat & disperdat: & ideo ea quæ vestræ dignitati, vel honori congrua ac necessaria sunt, perpetua nihilo minus stabilitate confirmamus; tantum ampliori nunc studio, curaque multiplici pro defensione sanctæ Dei ecclesiæ tibi commissæ stare ac desudare, quatenus salua securaque consistat, ut procures, his nostris apostolicis prudentiam vestram exhortamur apicibus. Nos namque, aliis omnibus mancosis datis, mille quadringentos vobis dare debemus, quos vestræ dilectioni, aut in initio quadragesimæ, aut in die sanctæ resurrectionis vobis procul dubio dirigemus. Porro hunc Petrum venerabilem diaconum vestrum, quia eum vestræ ecclesiæ, & ciuitati Neapolitanæ in omnibus fidelem esse cognoscimus, vobis in omnibus commendamus, & pro nostro eum amore benigne semper retinere dignemini. Data ut supra.

EPISTOLA LXVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD NEAPOLITANOS.

Laudat eos, quod zelo diuino accensi Sergium a se abiecerint, & Athanasium episcopum suæ reipublicæ rectorem elegerint: præcipit ut ei pareant, offerens se vna cum ipso eorum commodis consulturum.

Omnibus eximiis iudicibus, & uniuerso populo Neapolitanæ ciuitatis.

QVANTA veræ fidei deuotione circa Deum creatorem & saluatorem mundi atque erga ecclesiam Christi ferueatis, luce clarius ecce cognoscimus, cum tantæ impietatis virum, perditionis scilicet filium, & totius iniquitatis vas vobis inique dominantem, Sergium nempe magistrum militum, secundum videlicet Holofernem, zelo replete diuino, abiicere, ac velut membrum foetidum a corpore Christi abscidere, proculque abiicere studiis secundum Domini præceptum dicentis: *Si oculus tuus, vel manus tua scandalizat te, erue eum, & proice a te:* & quia illo abiecto pastorem & episcopum animarum vestrarum,

L iij